

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
1. Kollegstunde (22. März 2007):
Die Spätantike als Epoche und der Fall Roms

Texte: 1. Nemes. *ecl.* 3
 2. Hier. *epist.* 127,1; 12-14
 3. Aug. *civ.* 1,4

Text 1: Nemes. *ecl.* 3 (Ed.: H. J. Williams, Leiden 1986)

Nyctilus atque Micon nec non et pulcher Amyntas
 torrentem patula vitabant ilice solem,
 cum Pan venatu fessus recubare sub ulmo
 coeperat et somno laxatus sumere vires;
 quem super ex tereti pendebat fistula ramo. 5
 hanc pueri, tamquam praedam pro carmine possent
 sumere fasque esset calamos tractare deorum,
 invadunt furto; sed nec resonare canorem
 fistula quem suerat nec vult contexere carmen,
 sed pro carminibus male dissona sibila reddit, 10
 cum Pan excussus sonitu stridentis avenae
 iamque videns: "pueri, si carmina poscitis" inquit,
 "ipse canam: nulli fas est inflare cicutas,
 quas ego Maenaliis cera coniungo sub antris.
 iamque ortus, Lenaeae, tuos et semina vitis 15
 ordine detexam: debemus carmina Baccho".
 haec fatus coepit calamis sic montivagus Pan:
 "te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis
 viteaserta plicas quique udo palmitetigres
 ducis odoratis perfusus colla capillis, 20
 vera Iovis proles: iam tunc post sidera caeli
 sola Iovem Semele vidit Iovis ora professum.
 hunc pater omnipotens, venturi providus aevi,
 pertulit et iusto produxit tempore partus,
 hunc Nymphae Faunisque senes Satyrique procaces, 25
 nosque etiam Nysae viridi nutrimus in antro.
 quin et Silenus parvum veneratus alumnum
 aut gremio fovet aut resupinis sustinet ulnis,
 evocat aut risum digito motuquietem
 allicit aut tremulis quassat crepitacula palmis. 30
 cui deus arridens horrentes pectore setas
 vellicat aut digitis aures astringit acutas
 applauditve manu mutilum caput aut breve mentum
 et simas tenero collidit pollice nares.
 interea pueri florescit pube iuventus 35
 flavaque maturo tumuerunt tempora cornu.
 tum primum laetas ostendit pampinus uvas:
 mirantur Satyri frondes et poma Lyaei.

tum deus: "o Satyri, maturos carpite fetus"
 dixit, "et ignotos primi calcate racemos." 40
 vix haec ediderat, decerpunt vitibus uvas
 et portant calathis celerique elidere planta
 concava saxa super properant: vindemia fervet
 collibus in summis, crebro pede rumpitur uva
 nudaque purpureo sparguntur pectora musto. 45
 tum Satyri, lasciva cohors, sibi pocula quisque
 obvia corripiunt: quae fors dedit, arripit usus.
 cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco,
 concavat ille manus palmasque in pocula vertit,
 pronus at ille lacu bibit et crepitantibus haurit 50
 musta labris; alius vocalia cymbala mergit
 atque alius latices pressis resupinus ab uvis
 excipit; at potu saliens liquor ore resultat,
 spumeus inque umeros et pectora defluit umor.
 omnia ludus habet cantusque chorique licentes; 55
 et venerem iam vina movent: raptantur amantes
 concubitu Satyri fugientes iungere Nymphas
 iamiamque elapsas hic crine, hic veste retentat.
 tum primum roseo Silenus cymbia musto
 plena senex avide non aequis viribus hausit: 60
 ex illo venas inflatus nectare dulci
 hesternoque gravis semper ridetur Iaccho.
 quin etiam deus ille, deus Iove prosatus ipso,
 et plantis uvas premit et de vitibus hastas
 integit et lynxi praebet cratera bibenti." 65
 haec Pan Maenalia pueros in valle docebat,
 sparsas donec oves campo conducere in unum
 nox iubet, uberibus suadens siccare fluorem
 lactis et in niveas adstrictum cogere glaebas.

Text 2: Hier. *epist.* 127,1.12-14 (Ed.: F. A. Wright, London ⁶1991 (Loeb))

1. Saepe et multum flagitas, virgo Christi Principia, ut memoriam sanctae feminae Marcellae litteris recolam et bonum, quo diu fructi sumus, etiam ceteris noscendum imitandumque describam. Satisque doleo, quod hortaris sponte currentem et me arbitraris indigere precibus, qui ne tibi quidem in eius dilectione concedam multoque plus accipiam quam tribuam beneficii tantarum recordatione virtutum. Nam ut hucusque reticerem et biennium praeterirem silentio, non fuit dissimulationis, ut male aestimas, sed tristitiae incredibilis, quae ita meum obpressit animum, ut melius iudicarem tacere inpraesentiarum, quam nihil dignus illius laudibus dicere. Neque vero Marcellam tuam, immo meam et, ut verius loquar, nostram, omniumque sanctorum et proprie Romanae urbis inclitum decus, institutis rhetorum praedicabo, ut exponam illustrem familiam, alti sanguinis decus et stemmata per consules et praefectos praetorio decurrentia. Nihil in illa laudabo, nisi quod proprium est et in eo nobiliter, quod opibus et nobilitate contempta facta est paupertate et humilitate nobilior.

[...]

12. Dum haec aguntur in Iebus, terribilis de occidente rumor adfertur obsideri Romam et auro salutem civium redimi spoliatosque rursus circumdari, ut post substantiam vitam quoque amitterent. Haeret vox et singultus intercipiunt verba dictantis. Capitur urbs, quae totum cepit orbem, immo fame perit ante quam gladio et vix pauci, qui caperentur, inventi sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies et sua invicem membra laniant, dum mater non parcat lactanti infantiae et recipit utero, quem paulo ante effuderat. Nocte Moab capta est, nocte cecidit murus eius. Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, posuerunt cadavera servorum tuorum escas volatilibus caeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae. Effuderunt sanguinem ipsorum sicut aquam in circuitu Hierusalem et non erat, qui sepeliret.’

„Quis cladem illius noctis, quis funera fando
 explicet aut possit lacrimis aequare dolorem?
 urbs antiqua ruit multos dominata per annos
 plurima perque vias sparguntur inertia passim
 corpora perque domos, et plurima mortis imago.’ [Verg. *Aen.* II, 361-65; 369.]

13. Cum interim, ut tanta confusione rerum, Marcellae quoque domum cruentus victor ingreditur – ‚Sit mihi fas audita loqui’, immo a santis viris visa narrare, qui interfuere praesentes, qui te dicunt in periculo quoque ei fuisse sociatam – intrepido vultu excepisse dicitur introgressos; cumque posceretur aurum et defossas opes vili excusaret tunica, non tamen fecit fidem voluntariae paupertatis. Caesam fustibus flagellisque aiunt non sensisse tormenta, sed hoc lacrimis, hoc pedibus eorum egisse prostratam, ne te a suo consortio separarent, ne sustineret adulescentia, quod senilis aetas timere non poterat. Christus dura corda mollivit et inter cruentos gladios invenit locum pietas. Cumque et illam et te ad beati Pauli basilicam barbari deduxissent, ut vel salutem vobis ostenderent vel sepulchrum, in tantam laetitiam dicitur erupisse, ut gratias ageret Deo, quod te sibi integram reservasset, quod pauperem illam non fecisset captivitas, sed invenisset, quod egeret cotidiano cibo, quod saturata Christo non sentiret esuriem, quod et voce et opere loqueretur: ‚Nuda exivi de ventre matris meae, nuda et redeam. Sicut domino visum est, ita et factum est. Sit nomen domini benedictum.’

14. Post aliquot menses sana, integra vegetoque corpusculo dormivit in Domino et te paupertatulae suae, immo per te pauperes reliquit heredes claudens oculos in manibus tuis, reddens spiritum in tuis oculis, dum inter lacrimas illa rideret conscientia vitae bonae et praemiis futurorum. Haec tibi, Marcella venerabilis, et haec tibi, Principia filia, una et brevi lucubratione dictavi non eloquii venustate sed voluntate gratissimi in vos animi et Deo et legentibus placere desiderans.

Text 3: Aug. *civ.* 1,4 (Ed.: B. Dombart/A. Kalb, Leipzig/Stuttgart⁵1993 (Teubner))

[IV] Ipsa, ut dixi, Troia, mater populi Romani, sacratis locis deorum suorum munire non potuit ciues suos ab ignibus ferroque Graecorum, eosdem ipsos deos colentium; quin etiam

,Iunonis asylo
custodes lecti, Phoenix et dirus Vlives,
praedam adseruabant; huc undique Troia gaza
incensis erepta adytis mensaeque deorum
crateresque auro solidi captiuaque uestis
congeritur. Pueri et puidae longo ordine matres
Stant circum.’ [Verg. *Aen.* II, 761-67.]

Electus est uidelicet locus tantae deae sacratus, non unde captiuos non liceret educere, sed ubi captiuos liberet includere. Compara nunc asyllum illud non cuiuslibet dei gregalis uel de turba plebis, sed Iouis ipsius sororis et coniugis et reginae omnium deorum cum memoriis nostrorum apostolorum. Illuc incensis templis et diis erepta spolia portabantur, non donanda uictis, sed diuidenda uictoribus; huc autem et quod alibi ad ea loca pertinere compertum est cum honore et obsequio religiosissimo reportatum est. Ibi amissa, hic seruata libertas; ibi clausa, hic interdicta captiuitas; ibi possidendi a dominantibus hostibus premebantur, huc liberandi a miserantibus ducebantur: postremo illud Iunonis templum sibi elegerat auaritia et superbia leuium Graeculorum, istas Christi basilicas misericordia et humilitas etiam inmanium barbarorum. Nisi forte Graeci quidem in illa sua uictoria templis deorum communium pepercerunt atque illo confugientes miseros uictosque Troianos ferire uel captiuare non ausi sunt, sed Vergilius poetarum more illa mentitus est. Immo uero morem hostium ciuitates euertentium ille descripsit.

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
2. Kollegstunde (29. März 2007):
Kultur und Konflikt: Vom religiösen Streit zur sprachlichen Integration

Texte: 1. Min. Fel. 39; 25,1-5
 2. Lact. *ira* 17,1-5

Text 1: Min. Fel. 39; 25,1-5 (Ed.: B. Kytzler, Leipzig/Stuttgart 1992 (Teubner))

39. Cum Octavius perorasset, aliquamdiu nos ad silentium stupefacti intentos vultus tenebamus, et quod ad me est, magnitudine admirationis evanui, quod ea, quae facilius est sentire quam dicere, et argumentis et exemplis et lectionum auctoritatibus adornasset et quod malevolos isdem illis, quibus armantur, philosophorum telis retudisset, ostendisset etiam veritatem non tantummodo facilem sed et favorabilem.

25. 1. "At tamen ista ipsa superstitio Romanis dedit auxilium fundavit imperium, cum non tam virtute quam religione et pietate pollerent." nimirum insignis et nobilis iustitia Romana ab ipsis imperii nascentis incunabulis auspiciata est. 2. nonne in ortu suo et scelere collecti et muniti immanitatis suae terrore creverunt? nam asylo prima plebs congregata est: confluerant perditii, facinerosi incesti sicarii proditores, et ut ipse Romulus imperator et rector populum suum facinore praecelleret, parricidium fecit. 3. haec prima sunt auspicia religiosae civitatis. mox alienas virgines iam desponsatas, iam destinatas et nonnullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit violavit inlusit, et cum earum parentibus, id est cum soceris suis, bellum miscuit, propinquum sanguinem fudit. quid inreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris confidentia tutius? 4. iam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere cum templis et altaribus, captos cogere, damnis alienis et suis sceleribus adolescere cum Romulo regibus ceteris et posteris ducibus disciplina communis est. 5. ita quicquid Romani tenent colunt possident, audaciae praeda est: templa omnia de manubiis, id est de ruinis urbium, de spoliis deorum, de caedibus sacerdotum.

Text 2: Lact. *ira* 17,1-5 (Ed.: C. Ingrebeau, Paris 1982 (SC))

17. 1. Deus, inquit Epicurus, nihil curat. – Nullam igitur habet potestatem. Curare enim necesse est eum, qui habeat; vel si habeat, et non utitur, quae tanta negligentiae causa est ut ei non dicam nostrum genus, sed etiam mundus ipse sit vilis? 2. – Ideo, inquit, incorruptus est ac beatus quia semper quietus. – Cui ergo administratio tantarum rerum cessit, si haec a deo neglegantur quae videmus ratione summa gubernari? Aut quietus esse quomodo potest qui vivit et sentit? Nam quies aut somni res est aut mortis. 3. Sed nec somnus habet quietem. Nam cum soporati sumus, corpus quidem quiescit, animus tamen inquietus agitur; imagines sibi quas cernat adfingit ut naturalem suum motum exercent varietate visorum, advocatque se falsis dum membra saturantur ac vigorem capiant de quiete. 4. Quies igitur sempiterna solius mortis est. Si autem mors deum non attingit, deus igitur numquam quietus est. Dei vero actio quae potest esse nisi mundi administratio? Si vero mundi curam gerit, curat igitur hominum vitam deus et singulorum actus animadvertit eosque sapientes ac bonos esse desiderat. 5. Haec est voluntas dei, haec divina lex; quam qui sequitur, qui observat, deo carus est. Necesse est igitur, ut ira moveatur deus adversus eum, qui hanc aeternam divinamque legem aut violaverit, aut spreverit.

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
3. Kollegstunde (5. April 2007):
Prudentius: Ein christlicher Horaz

Texte: 1. Prud. *epil.*
 2. Hor. *carm.* 2,18
 3. Prud. *per.* 2,413-440

Text 1: Prud. *epil.* (Ed.: H. J. Thomson, London ²1961(Loeb))

Immolat Deo Patri	
pius, fidelis, innocens, pudicus	
dona conscientiae,	
quibus beata mens abundat intus.	
alter et pecuniam	5
recidit, unde victitent egeni.	
nos citos iambicos	
sacramus et rotatiles trochaeos	
sanctitatis indigi	
nec ad levamen pauperum potentes.	10
approbat tamen Deus	
pedestre carmen et benignus audit.	
multa divitis domo	
sita est per omnes angulos supellex:	
fulget aureus scyfus	15
nec aere defit expolita pelvis,	
est et olla fictilis	
gravisque et ampla argentea est parapsis,	
sunt eburna quaequam,	
nonnulla quercu sunt cavata et ulmo.	20
omne vas fit utile	
quod est ad usum congruens erilem;	
instruunt enim domum	
ut empta magno, sic parata ligno.	
me paterno in atrio	25
ut obsoletum vasculum caducis	
Christus aptat usibus	
sinitque parte in anguli manere.	
munus ecce fictile	
inimus intra regiam salutis.	30
attamen vel infimam	
Deo obsequellam praestitisse prodest.	
quidquid illud accidit,	
iuvabit ore personasse Christum.	

Text 2: Hor. *carm.* 2,18 (Ed.: D. R. Shackleton Bailey, Leipzig/München ⁴2001 (Teubner))

Non ebur neque aureum mea renidet in domo lacunar, non trabes Hymettiae premunt columnas ultima recisas	
Africa, neque Attali ignotus heres regiam occupavi, nec Laconicas mihi trahunt honestae purpuras clientae.	5
at fides et ingeni benigna vena est pauperemque dives me petit: nihil supra deos laccio, nec potentem amicum	10
largiora flagito, satis beatus unicus Sabinis. truditur dies die novaeque pergunt interire lunae:	15
tu secanda marmora locas sub ipsum funus et sepulcri inmemor struis domos marisque Bais obstrepentis urges	20
summovere litora parum locuples continente ripa. quid quod usque proximos revellis agri terminos et ultra	
limites clientium salis avarus? Pellitur paternos in sinu ferens deos et uxor et vir sordidosque natos.	25
nulla certior tamen rapacis Orci fine destinata aula divitem manet. erum quid ultra tendis? aequa tellus	30
pauperi recluditur regumque pueris, nec satellites Orci callidum Promethea revexit auro captus. hic superbum	35
Tantalum atque Tantali genus coercet, hic levare functum pauperem laboribus vocatus atque non vocatus audit.	40

Text 3: Prud. *per.* 2,413-440 (Ed.: H. J. Thomson, London ²1961(Loeb))

'o Christe, nomen unicum,
o splendor, o uirtus Patris,
o factor orbis et poli, 415
atque auctor horum moenium,

qui scepra Romae in vertice
rerum locasti, sanciens
mundum Quirinali togae
servire et armis cedere, 420

ut discrepantum gentium
mores et observantiam
linguasque et ingenia et sacra
unis domares legibus,

en omne sub regnum Remi 425
mortale concessit genus,
idem loquuntur dissoni
ritus, id ipsum sentiunt.

hoc destinatum quo magis
ius Christiani nominis, 430
quodcumque terrarum iacet,
uno inligaret vinculo.

da, Christe, Romanis tuis,
sit christiana ut civitas,
per quam dedisti ut ceteris 435
mens una sacrorum foret.

confoederantur omnia
hinc inde membra in symbolum,
mansuescit orbis subditus,
mansuescat et summum caput. 440

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
4. Kollegstunde (12. April 2007):
Symmachus und Ausonius: Zwei gebildete Aristokraten im Austausch

Texte: 1. Symm. *epist.* 1,31
 2. Auson. *epist.* 12
 3. Symm. *epist.* 1,25

Text 1: Symm. *epist.* 1,31 (Ed.: J. P. Callu, Paris 1972 (Les Belles Lettres))

1. Merum mihi gaudium eruditionis tuae scripta tribuerunt, quae Capuae locatus accepi. Erat quippe in his oblita Tulliano melle festiuitas et sermonis mei non tam uera quam blanda laudatio. Quid igitur magis mirer, sententiae incertus addubito, ornamenta oris an pectoris tui. Quippe ita facundia antistas ceteris, ut sit formido rescribere, ita benigne nostra comprobas, ut libeat non tacere. Si plura de te praedicem, uidebor mutuuum scabere et magis imitator tui esse adloquii quam probator. Simul quod ipse nihil ostentandi gratia facis, uerendum est genuina in te bona tanquam adfectata laudare. Unum hoc tamen a nobis indubitata ueritate cognosce: neminem esse mortalium quem prae te diligam; sic uadatum me honorabili amore tenuisti. Sed in eo mihi uerecundus nimio plus uidere, quod libelli tui arguis proditorem.

2. Nam facilius est ardentis fauillas ore comprimere quam luculenti operis seruare secretum. Cum semel a te profectum carmen est, ius omne posuisti. Oratio publicata res libera est. An uereris aemuli uenena lectoris, ne libellus tuus admorsu duri dentis uratur? Tibi uni ad hoc locorum nihil gratia praestitit aut dempsit inuidia. Ingratis scaeuo cuique proboque laudabilis es. Proinde cassas dehinc seclude formidines et indulge stilo, ut saepe prodaris. Certe aliquod didascalicum seu protrepticum nostro quoque nomini carmen adiudica.

3. Fac periculum silentii mei, quod, etsi tibi exhibere opto, tamen spondere non audeo. Noui ego quae sit prurigo emuttendi operis quod probaris; nam quodam pacto societatem laudis adfectat, qui aliena bene dicta primus enuntiat. Ea propter in comoediis summam quidem gloriam scriptores tulerunt: Roscio tamen atque Ambiuio ceterisque actoribus fama non defuit. Ergo tali negotio expende otium tuum et nouis uoluminibus ieiunia nostra sustenta. Quod si iactantiae fugax garrulum indicem pertimescis, praesta etiam tu silentium mihi, ut tuto simulem esse nostra, quae scripseris. Vale.

Text 2: Auson. *epist.* 12 (Ed.: R. P. H. Green, Oxford 1999 (OCT))

Modo intelligo quam mellea res sit oratio, quam delenifica et quam suada facundia. persuasisti mihi quod epistulae meae apud Capuam tibi redditae concinnatio inhumana non esset, sed hoc non diutius quam dum epistulam tuam legi, quae me blanditiis inhiantem tuis velut suco nectaris delibuta perducit. ubi vero chartulam pono et me ipsum interrogo, tum apsinthium meum resipit et circumlita melle tuo pocula deprehendo. si uero, id quod saepe facio, ad epistulam tuam redii, rursus illicior; et rursus ille suavissimus, ille floridus tui sermonis afflatus deposita lectione uanescit et testimonii pondus prohibet inesse dulcedini. hoc me uelut aeriis bratteae fucus aut picta nebula non longius quam dum uidetur oblectat, chamaeleontis bestiolae uice, quae de subiectis sumit colorem. aliud sentio ex epistola tua, aliud ex conscientia mea. et tu me audes facundissimorum hominum laude dignari? tu, inquam, mihi ista, qui te ultra emendationem omnium protulisti? aut quisquam ita nitet ut comparatus tibi non sordeat? quis ita ad Aesopi uenustatem, quis sophisticas Isocratis conclusiones, quis ita

ad enthymemata Demosthenis aut opulentiam Tullianam aut proprietatem nostri Maronis accedat? quis ita affectet singula ut tu imples omnia? quid enim aliud es quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio? haec, domine mi fili Symmache, non vereor ne in te blandius dicta videantur esse quam verius. et expertus es fidem meam mentis atque dictorum, dum in comitatu degimus ambo aevo dispari, ubi tu veteris militiae praemia tiro meruisti, ego tirocinium iam veteranus exercui. in comitatu tibi verus fui, nedum me peregre existimes composita fabulari; in comitatu, inquam, qui frontes hominum aperit, mentes tegit, me tibi et parentem et amicum et, si quid utroque carius est, cariorem fuisse sensisti.

sed abeamus ab his, ne istaec commemoratio ad illam Sosiae formidinem videatur accedere. illud, quod paene praeterii, qua affectatione addidisti, ut ad te didascalicum aliquod opusculum aut sermonem protrepticum mitterem? ego te docebo, docendus adhuc si essem id aetatis ut discerem? aut ego te vegetum atque alacrem commonebo? eadem opera et Musas hortabor ut canant, et maria ut effluent et auras ut vigeant et ignes ut caleant admonebo et, si quid invitis quoque nobis natura fit, superfluum instigator agitabo. sat est unius erroris, quod aliquid meorum me paenitente vulgatum est, quod bona fortuna in manus amicorum incidit. nam si contra id evenisset, nec tu mihi persuaderes placere me posse.

haec ad litteras tuas responsa sint. cetera quae noscere aves compendi faciam; sic quoque iam longa est epistula. Iulianum tamen familiarem domus vestrae, si quid de nobis percontandum arbitraris, allego: simul admoneo, ut, cum causam adventus eius agnoveris, iuves studium quod ex parte fovisti. vale.

Text 3: *Symm. epist.* 1,25 (Ed.: J. P. Callu, Paris 1972 (Les Belles Lettres))

Etsi plerumque uera est apud parentes praedicatio filiorum, nescio quo tamen pacto detrimentum meriti sui patiatur, dum personarum spectare gratiam iudicatur. Quaero igitur incertus animi, quae mihi nunc potissimum super uiro honorabili Thalassio genero tuo uerba sumenda sint. Si parce decorem morum eius adtingam, liuenti similis aestimabor, si iuste persequar, ero proximus blandienti. Imitabor igitur Sallustiani testimonii castigationem: habes uirum dignum te et per te familia consulari, quem fortuna honoris parti maiorem beneficiis suis repperit, emendatio animi et sanctitas potioribus iam paravit. Vale.

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
5. Kollegstunde (19. April 2007):

Geschichte als Lust und Last: Der christliche Umgang mit der römischen Vergangenheit

- Texte:** 1. Symm. *rel.* 3,9-10
 2. Ambros. *epist.* 18,4-7
 3. Prud. *c. Symm.* 2,634-768

Text 1: Symm. *rel.* 3,9-10 (Ed.: R. Klein, Der Streit um den Victoriaaltar, Darmstadt 1972)

9. Romam nunc putemus adsistere atque his vobiscum agere sermonibus: Optimi principum, patres patriae, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit! Utar caerimoniis avitis; neque enim paenitet. Vivam meo more, quia libera sum! Hic cultus in leges meas orbem redegit, haec sacra Hannibalem a moenibus, a Capitolio Senonas reppulerunt. Ad hoc ergo servata sum, ut longaeva reprehendar?

10. Videro, quale sit, quod instituendum putatur; sera tamen et contumeliosa est emendatio senectutis. Ergo diis patriis, diis indigetibus pacem rogamus. Aequum est, quidquid omnes colunt, unum putari. Eadem spectamus astra, commune caelum est, idem nos mundus involvit. Quid interest, qua quisque prudentia verum requirat? Uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum. Sed haec otiosorum disputatio est. Nunc preces, non certamina offerimus.

Text 2: Ambros. *epist.* 18,4-7 (Ed.: R. Klein, Der Streit um den Victoriaaltar, Darmstadt 1972)

4. In prima propositione flebili Roma quaestu sermonis inlacrimat veteres, ut ait, cultus caerimoniarum requirens. Haec sacra, inquit, Hannibalem a moenibus, a Capitolio Senonas repulerunt. Itaque dum sacrorum potentia praedicatur, infirmitas proditur. Ergo Hannibal diu sacris insultavit Romanis et diis contra se dimicantibus usque ad muros urbis vincendo pervenit. Cur se obsideri passi sunt, pro quibus deorum suorum arma pugnabant?

5. Nam de Senonibus quid loquar, quos Capitolii secreta penetrantes Romanae reliquiae non tulissent, nisi eos pavido anser strepitu prodidisset? En quales templa Romana praesules habent. Ubi tunc erat Iuppiter? An in ansere loquebatur?

6. Verum quid negem sacrorum ritus militasse Romanis? Sed etiam Hannibal eosdem deos colebat. Utrum volunt igitur? Eligant. Si in Romanis vicerunt sacra, in Carthaginensibus ergo superata sunt; si in Carthaginensibus triumphata, nec Romanis utique profuerunt.

7. Facessat igitur invidiosa illa populi Romani querela! Non hanc Roma mandavit. Aliis illa eos interpellat vocibus: Quid me casso quotidie gregis innoxii sanguine cruentatis? Non in fibris pecudum, sed in viribus bellatorum tropaea victoriae sunt. Aliis ego disciplinis orbem subegi. Militabat Camillus, qui sublata Capitolio signa caesis Tarpeiae rupis triumphatoribus reportavit. Stravit virtus, quos religio non removet. Quid de Atilio loquar, qui militiam etiam mortis inpendit? Africanus non inter Capitolii aras, sed inter Hannibalis acies triumphum invenit. Quid mihi veterum exempla profertis? Odi ritus Neronum. Quid dicam bimestres imperatores et terminos regum cum exordiis copulatos? Aut forte illud est novum barbaros suis excessisse finibus? Numquid etiam illi Christiani fuerunt, quorum miserabili novoque exemplo alter captivus imperator, sub altero captivus orbis, fefellisse quae victoriam promittebant, suas caerimonias prodiderunt? Numquid et tunc non erat ara Victoriae? Paenitet lapsus et vetusta canities pudendi sanguinis traxit ruborem. Non erubesco cum toto orbe longaeva converti. Verum certe est, quia nulla aetas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quae emendare

se non potest. *Non annorum canities est laudata, sed morum* [Sap. 4, 8f.]. Nullus pudor est ad meliora transire. Hoc solum habebam commune cum barbaris, quia deum antea nesciebam. Sacrificium vestrum ritus est bestiarum cruore respergi. Quid in mortuis pecudibus quaeritis dei voces? Venite et discite in terris caelestem militiam. Hic vivimus et illic militamus. Caeli mysterium doceat me deus ipse, qui condidit, non homo, qui se ipsum ignoravit. Cui magis de deo quam deo credam? Quomodo possum vobis credere, qui fatemini vos ignorare quod colitis?

Text 3: Prud. c. *Symm.* 2,634-768 (Ed.: H. J. Thomson, London ²1961(Loeb))

en ades, Omnipotens, concordibus influe terris:
iam mundus te, Christe, capit, quem congrege nexu 635
pax et Roma tenent. capita haec et culmina rerum
esse iubes, nec Roma tibi sine pace probatur,
et pax ut placeat facit excellentia Romae,
quae motus varios simul et dicione coercet
et terrore premit; nec enim spoliata prioris 640
robore virtutis senuit nec saecula sensit,
nec tremulis, cum bella vocant, capit arma lacertis,
nec tam degeneri venerandis supplicat ore
principibus, quam vult praenobilis ille senator,
orandi arte potens et callida fingere doctus 645
mentitumque gravis personae inducere pondus,
ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato,
grande aliquod cuius per hiatum crimen anhelet.
si vocem simulare licet, nempe aptior ista
vox Romae est, quam nunc eius sub nomine promam. 650
quae quia turpe putat templorum flere repulsam
aegidaeque in dubiis pro se pugnasse periclis
dicere seque gravem senio inclinante fateri,
ductores complexa suos sic laeta profatur:
„O clari salvete duces, generosa propago 655
principis invicti, sub quo senium omne renascens
deposui vidique meam flavescere rursus
canitiam: nam cum mortalia cuncta vetustas
inminuat, mihi longa dies aliud parit aevum,
quae vivendo diu didici contemnere finem. 660
nunc, nunc iusta meis reverentia conpetit annis,
nunc merito dicor venerabilis et caput orbis,
cum galeam sub fronde oleae cristasque rubentes
concutio viridi velans fera cingula serto
atque armata Deum sine crimine caedis adoro. 665
crimen enim, piget heu, crimen persuaserat atrox
Iuppiter, ut sacro iustorum sanguine tincta
adsuetum bellis scelerarem funere ferrum.
illius instinctu primus Nero matre perempta
sanguinem apostolicum bibit ac me strage piorum 670
polluit et proprium facinus mihi saevus inussit.
post hunc et Decius iugulis bacchatus apertis
insanam pavit rabiem; mox et sitis arsit

multorum similis, per vulnera tristia flagrans
 extrahere insignes animas ac ludere poenis 675
 undantesque meum in gremium defundere mortes
 et sub iure fori non noxia colla secare.
 hac me labe ream modo tempora vestra piarunt.
 vivo pie vobis auctoribus, in pia pridem
 arte Iovis, fateor; quid enim non ille cruentum 680
 tradidit? aut quid mite sibi placidumve poposcit?
 qui, dum praemetuit cultus inolescere Christi,
 saeviit ac miserum foedavit sanguine saeculum.
 et sunt qui nobis bella exprobrare sinistra
 non dubitent, postquam templorum spreverunt aras, 685
 adfirmantque Libyn Collinae a cardine portae
 Hannibalem Iovis imperio Martisque repulsum.
 victores Senonas Capitoli ex arce fugatos
 cum super e celso pugnarent numina saxo!
 qui mihi praeteritam cladem veteresque dolores 690
 inculcant iterum, videant me tempore vestro
 iam nil tale pati: nullus mea barbarus hostis
 cuspide claustra quatit, non armis, veste, comisque
 ignotus capta passim vagus errat in urbe
 transalpina meam rapiens in vincula pubem. 695
 temptavit Geticus nuper delere tyrannus
 Italiam patrio veniens iuratus ab Histro
 has arces aequare solo, tecta aurea flammis
 solvere, mastrucis proceres vestire togatos;
 iamque ruens Venetos turmis protriverat agros 700
 et Ligurum vastarat opes et amoena profundi
 rura Padi Tuscumque solum victo amne premebat.
 depulit hos nimbos equitum non pervigil anser,
 proditor occulti tenebrosa nocte pericli,
 sed vis cruda virum perfractaque congregientum 705
 pectora nec trepidans animus subcumbere leto
 pro patria et pulchram per vulnera quaerere laudem.
 numquid et ille dies Iove contulit auspice tantum
 virtutis pretium? dux agminis imperiique
 Christipotens nobis iuvenis fuit, et comes eius 710
 atque parens Stilicho, Deus unus Christus utrique.
 huius adoratis altaribus et cruce fronti
 inscripta cecinere tubae: prima hasta dracones
 praecurrit, quae Christi apicem sublimior effert.
 illic ter denis gens exitiabilis annis 715
 Pannoniae poenas tandem deleta pependit.
 corpora famosis olim ditata rapinis
 in cumulos congesta iacent; mirabere seris,
 posteritas, saeculis inhumata cadavera late,
 quae Pollentinos texerunt ossibus agros. 720
 si potui manibus Gallorum excisa levare
 de cinerum squalore caput, redeunte Camillo
 signa renidenti fumans si fronte recepi,
 si potui miseras sertis redimire ruinas

et male pendentes lauro praecingere tures, 725
 quo te suscipiam gremio, fortissime princeps?
 quos spargam flores? quibus insertabo coronis
 atria? quae festis suspendam pallia portis,
 immunis tanti belli ac te stante sub armis
 libera et aure tenus Geticos experta tumultus? 730
 scande triumphalem currum, spoliisque receptis
 huc Christo comitante veni. date, vincula demam
 captivis gregibus; manicas deponite longo
 tritas servitio, matrum iuvenumque catervae.
 dediscat servire senex laris exsul aviti, 735
 discat et ad patrium limen genitrice reversa
 ingenuum se nosse puer. timor omnis abesto;
 vicimus, exsultare libet. quid tale repulso
 Poenorum quondam duce contigit? ille petitae
 postquam perculerat tremefacta repagula portae, 740
 Baianis resolutus aquis durissima luxu
 robora destituit ferrumque libidine fregit.
 at noster Stilico congressus cominus ipsa
 ex acie ferrata virum dare terga coegit.
 hic Christus nobis Deus adfuit et mera virtus, 745
 illic lascivum, Campania fertilis, hostem
 deliciae vicere tuae, non Iuppiter acrem
 protexit Fabium, sed iuivit amoena Tarentus,
 quae dedit inlecebris domitum calcare tyrannum.
 his ego pro meritis quae praemia digna rependam, 750
 non habeo: membra statuis effingere vile est;
 virtutem nil vile decet, nam vile, quod aetas
 eripit: aera cadunt aut fulvum defluit aurum
 aut candor perit argenti si defuit usus,
 et fuscata situ corrumpit vena colorem. 755
 viva tibi, princeps, debetur gloria, vivum
 virtutis pretium decus immortale secuto.
 regnator mundi Christo sociabere in aevum,
 quo ductore meum trahis ad caelestia regnum.
 nil te permoveat magni vox rhetoris, oro, 760
 qui sub legati specie sacra mortua plorans
 ingenii telis et fandi viribus audet,
 heu, nostram temptare fidem nec te videt ac me
 devotos, Auguste, Deo, cui sordida templa
 clausimus et madidas sanie deiecimus aras. 765
 unus nostra regat servetque palatia Christus;
 ne quis Romuleas daemon iam noverit arces,
 sed soli pacis Domino mea serviat aula.“

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
6. Kollegstunde (26. April 2007):
Die spätantike literarische Kultur als Gemeinschaft der Gebildeten

Texte: 1. *epigr. Bob. 5*
 2. *Auson. protr. 45-65*
 3. *Sidon. epist. 4,11*
 4. *Amm. 14,6,16-18*
 5. *Sidon. epist. 4,12*

Text 1: *epigr. Bob. 5* (Ed.: W. Speyer, Leipzig 1963 (Teubner))

Parcus amator opum, blandorum victor honorum hic studia et Musis otia amica colo	
Iunius Ausoniae notus testudinis ales, quodque voluptati est, hinc capio atque fruor:	4
rura, domus, rigui genuinis fontibus horti dulciaque imparium marmora Pieridum.	
vivere sic placidamque iuvat proferre senectam, docta revolventem scripta virum veterum.	8

Text 2: *Auson. protr. 45-65* (Ed.: R. P. H. Green, Oxford 1999 (OCT))

perlege, quodcumque est memorabile; prima monebo.	45
conditor Iliados et amabilis orsa Menandri evolvenda tibi; tu flexu et acumine vocis innumeros numeros doctis accentibus effer affectusque impone legens; distinctio sensum auget et ignavis dant intervalla vigorem.	50
ecquando ista meae contingent dona senectae? quando oblita mihi tot carmina totque per aevum conexa historiae, soccos aulaeaeque regum et melicos lyricosque modos profundo novabis obductosque seni facies puerascere sensus?	55
te praeunte, nepos, modulata poemata Flacci altisonumque iterum fas est didicisse Maronem. tu quoque, qui Latium lecto sermone, Terenti, comis et astricto percurris pulpita socco, ad nova vix memorem diverbia coge senectam.	60
iam facinus, Catilina, tuum Lepidique tumultum, ab Lepido et Catulo iam res et tempora Romae orsus bis senos seriem conecto per annos; iam lego civili mixtum Mavorte duellum, movit quod socio Sertorius exul Hiberno.	65

Text 3: Sidon. *epist.* 4,11,6 (Ed.: A. Loyen, Paris 1970 (Les Belles Lettres))

6. Sed quid dolorem nostrum moderaturi causis potius doloris fomenta sufficimus? Ergo, ut dicere institueramus, huic iam, ut est illud Maronianum, cineri ingrato id est gratiam non relato neniam condidimus tristem luctuosamque propemodum laboriose, quia faceret dictandi desuetudo difficultatem, nisi quod animum natura desidiosissimum dolor fletu gravidus accendit. Eius hoc carmen est:

„Germani decus et dolor Mamerti, mirantum unica pompa episcoporum, hoc dat caespite membra Claudianus, triplex bybliothea quo magistro, Romana, Attica, Christiana fulsit;	5
quam totam monachus uirente in aevo secreta bibit institutione, orator, dialecticus, poeta, tractator, geometra, musicusque, doctus soluere uincla quaestionum et uerbi gladio secare sectas, si quae catholicam fidem laccessunt. Psalmorum hic modulator et phonascus ante altaria fratre gratulante instructas docuit sonare classes.	10 15
Hic sollemnibus annuis parauit quae quo tempore lecta conuenirent. Antistes fuit ordine in secundo, fratrem fasce levans episcopali. Nam de pontificis tenore summi ille insignia sumpsit, hic laborem.	20
At tu, quisque doles, amice lector, de tanto quasi nil viro supersit, udis parce genis rigare marmor: mens et gloria non queunt humari.	25

Text 4: Amm. 14,6,16-18 (Ed.: W. Seyfarth, Leipzig 1978 (Teubner))

16. Mensarum enim uoragines et uarias uoluptatum illecebras, ne longius progrediar, praetermitto illuc transiturus, quod quidam per ampla spatia urbis subuersasque silices sine periculi metu properantes equos uelut publicos signatis quod dicitur calcibus agitant familiarium agmina tamquam praedatorios globos post terga trahentes ne Sannione quidem, ut ait comicus, domi relicto. quos imitatae matronae complures opertis capitibus et basternis per latera civitatis cuncta discurrunt.

17. utque proeliorum periti rectores primo cateruas densas opponunt et fortes, deinde leues armaturas, post iaculatores ultimasque subsidiales acies, si fors adegerit, iuuaturas, ita praepositis urbanae familiae suos pense digerentibus sollicite, quos insignes faciunt uirgae dextris aptatae, uelut tessera data castrensi iuxta uehiculi frontem omne extrinsum incedit; huic atratum coquinae iungitur ministerium, dein totum promiscue seruitium cum otiosis plebeiis de uicinitate coniunctis; postrema multitudo spadonum a senibus in pueros desinens obluridi distortaque liniamentorum compage deformes, ut, quaqua incesserit quisquam, cernens mutilorum hominum agmina detestetur memoriam Semiramidis reginae illius ueteris, quae

teneros mares castrauit omnium prima uelut uim iniectans naturae eandemque ab instituto cursu retorquens, quae inter ipsa oriundi crepundia per primigenios seminis fontes tacita quodam modo lege uias propagandae posteritatis ostendit.

18. Quod cum ita sit, paucae domus studiorum seriis cultibus antea celebratae nunc ludibriis ignauiae torpentis exundant uocali sonu perflabili tinnitu fidium resultantes. denique pro philosopho cantor et in locum oratoris doctor artium ludicarum accitur et bibliothecis sepulchrorum ritu in perpetuum clausis organa fabricantur hydraulica et lyrae ad speciem carpentorum ingentes tibiaeque et histrionici gestus instrumenta non leuia.

Text 5: Sidon. *epist.* 4,12 (Ed.: A. Loyen, Paris 1970 (Les Belles Lettres))

Sidonius Simplicio et Apollinari suis salutem.

1. Deus bone, quantum naufragioso pelago conformis est motus animorum, quippe cum nuntiorum turbinibus aduersis quasi propria tempestate confunditur! Nuper ego filiusque communis Terentianae Hecyrae sales ruminabamus; studente assidebam naturae meminens et professionis oblitus quoque absolutius rhythmos comicos incitata docilitate sequeretur, ipse etiam fabulam similis argumenti, id est Epitrepontem Menandri in manibus habebam. 2. Legebamus pariter, laudabamus iocabamurque et, quae uota communia sunt, illum lectio, me ille capiebat, cum repente puer familiaris adstitit uultuosus. Cui nos: „quid ita?“ et ille: „Lectorem“, inquit, „Constantem nomine pro foribus uidi a dominis Simplicio et Apollinare redeuntem; dedit quidem litteras quas acceperat sed perdidit quas recepit.“ 3. Quibus agnitis serenitas laetitia meae confestim nubilo superducti maeroris insorduit tantamque mihi bilem nuntii huiusce contrarietas excitauit, ut per plurimos dies illum ipsum hermam stolidissimum uenire ante oculos meos inexoratus arcuerim, laturus aegre, si mihi apices aut quoscumque aut quorumcumque non redderet, taceam uestros, qui mihi, dum recti compos animus durat, minime frequentes maxime desiderabiles iudicabuntur. 4. At postquam nostra sensim temporis interuallo ira defremuit, percontor admissum, num uerbo quippiam praeterea detulisset. Respondit ipse, quamquam esset trepidus et sternax et prae reatu balbutiret ore, caecutiret intuitu, totum quo instrui, quo delectari ualerem, paginis quae intercidissent fuisse mandatum. Quocirca recurrere ad pugillares, replicate membranas et scripta rescribite. Tamdiu enim aequanimiter admitto, ut desiderio meo sinister euentus officiat, donec ad uos nostro sermone perueniat ad nos uestrum non peruenisse sermonem. Valet.

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
7. Kollegstunde (3. Mai 2007):
Literatur als Krisenbewältigung: Claudius Claudianus und Rutilius Namatianus

Texte: 1. Rut. Nam. 1,47-164
 2. Claud. *Hon. VI* 39-52; 520-536

Text 1: Rut. Nam. 1,47-164 (Ed.: E. Doblhofer, Heidelberg 1972)

„Exaudi, regina tui pulcherrima mundi,
 inter sidereos, Roma, recepta polos!
 exaudi, genitrix hominum genitrixque deorum;
 non procul a caelo per tua templa sumus. 50
 te canimus semperque, sinent dum fata, canemus:
 sospes nemo potest immemor esse tui.
 obruerint citius scelerata oblivia solem
 quam tuus e nostro corde recedat honos.
 nam solis radiis aequalia munera tendis, 55
 qua circumfusus fluctuat Oceanus.
 volitur ipse tibi, qui continet omnia, Phoebus
 eque tuis ortos in tua condit equos.
 te non flammigeris Libye tardavit harenis,
 non armata suo reppulit ursa gelu: 60
 quantum vitalis natura tetendit in axes,
 tantum virtuti pervia terra tuae.
 fecisti patriam diversis gentibus unam;
 profuit iniustis te dominante capi,
 dumque offers victis proprii consortia iuris, 65
 urbem fecisti, quod prius orbis erat.
 auctores generis Venerem Martemque fatemur,
 Aeneadam matrem Romulidumque patrem.
 mitigat armatas victrix clementia vires,
 convenit in mores nomen utrumque tuos. 70
 hinc tibi certandi bona parcendique voluptas:
 quos timuit, superat; quos superavit, amat.
 inventrix oleae colitur vinique repertor
 et qui primus humo pressit aratra puer.
 aras Paeoniam meruit medicina per artem, 75
 factus et Alcides nobilitate deus:
 tu quoque legiferis mundum complexa triumphis,
 foedere communi vivere cuncta facis.
 te, dea, te celebrat Romanus ubique resessus
 pacificoque gerit libera colla iugo. 80
 omnia perpetuos quae servant sidera motus
 nullum viderunt pulchrius imperium.
 quid simile Assyriis conectere contigit armis?
 Medi finitimos condomuere suos;

magni Parthorum reges Macetumque tyranni 85
 mutua per varias iura dedere vices.
 nec tibi nascenti plures animaeque manusque,
 sed plus consilii iudiciiue fuit.
 iustis bellorum causis nec pace superba
 nobilis ad summas gloria venit opes. 90
 quod regnas minus est quam quod regnare mereris;
 excedis factis grandia fata tuis.
 percensere labor densis decora alta trophaeis,
 ut si quis stellas pernumerare velit,
 confunduntque vagos delubra micantia visus: 95
 ipsos crediderim sic habitare deos.
 quid loquar aereo pendentis fornice rivos,
 qua vix imbriferas tolleret Iris aquas;
 hos potius dicas crevisse in sidera montes,
 tale Giganteum Graecia laudat opus. 100
 intercepta tuis conduntur flumina muris,
 consumunt totos celsa lavacra lacus,
 nec minus et propriis celebrantur roscida venis
 totaque nativo moenia fonte sonant;
 frigidus aestivalis hinc temperat halitus auras 105
 innocuamque levat purior unda sitim.
 nempe tibi subitus calidarum gurgis aquarum
 rupit Tarpeias hoste premente vias.
 si foret aeternus, casum fortasse putarem:
 auxilio fluxit, qui rediturus erat. 110
 quid loquar inclusas inter laquearia silvas,
 vernula quae vario carmine ludit avis!
 vere tuo numquam mulceri desinit annus
 deliciasque tuas victa tuetur hiems.
 erige crinales lauros seniumque sacrati 115
 verticis in virides, Roma, refinge comas;
 aurea turrigero radient diademata cono
 perpetuosque ignes aureus umbo vomat.
 abscondat tristem deleta iniuria casum,
 contemptus solidet vulnera clausa dolor. 120
 adversis solemne tuis sperare secunda:
 exemplo caeli ditia damna subis.
 astrorum flammae renovant occasibus ortus;
 lunam finiri cernis, ut incipiat.
 victoris Brenni non distulit Allia poenam, 125
 Samnis servitio foedera saeva luit,
 post multas Pyrrhum clades superata fugasti,
 flevit successus Hannibal ipse suos.
 quae mergi nequeunt, nixu maiore resurgunt
 exiliuntque imis altius acta vadis; 130
 utque novas vires fax inclinata resumit,
 clarior ex humili sorte superna petis.
 porrige victuras Romana in saecula leges
 solaque fatales non vereare colos,

quamvis sedecies denis et mille peractis 135
 annus praeterea iam tibi nonus eat.
 quae restant, nullis obnoxia tempora metis,
 dum stabunt terrae, dum polus astra feret;
 illud te reparat, quod cetera regna resolvit:
 ordo renascendi est crescere posse malis. 140
 ergo age, sacrilegae tandem cadat hostia gentis,
 submittant trepidi perfida colla Getae.
 ditia pacatae dent vectigalia terrae,
 impleat augustos barbara praeda sinus;
 aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet 145
 altricemque suam fertilis orbis alat.
 quin et fecundas tibi conferat Africa messes,
 sole suo dives, sed magis imbre tuo.
 interea et Latiis consurgant horrea sulcis
 pinguiaque Hesperio nectare prela fluant. 150
 ipse triumphali redimitus arundine Tibris
 Romuleis famulas usibus aptet aquas
 atque opulenta tibi placidis commercia ripis
 devehat hinc ruris, subvehat inde maris.
 pande, precor, gemino pacatum Castore pontum, 155
 temperet aequaream dux Cytherea viam,
 si non displicui, regerem cum iura Quirini,
 si colui sanctos consulique patres.
 nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
 non sit praefecti gloria, sed populi. 160
 sive datur patriis vitam componere terris
 sive oculis umquam restituere meis,
 fortunatus agam votoque beatior omni,
 semper digneris si meminisse mei.“

Text 2: Claud. *Hon. VI* 39-52; 520-536 (Ed.: M. Dewar, Oxford 1996)

non alium certe decuit rectoribus orbis
 esse larem, nulloque magis se colle potestas 40
 aestimat et summi sentit fastigia iuris.
 attollens apicem subiectis regia rostris
 tot circum delubra uidet tantisque deorum
 cingitur excubiis! iuuat infra recta Tonantis
 cernere Tarpeia pendentes rupe Gigantas 45
 caelatasque fores mediisque uolantia signa
 nubibus et densum stipantibus aethera templis
 aeraque uestitis numerosa puppe columnis
 consita subnixasque iugis inmanibus aedes,
 naturam cumulante manu, spoliisque micantes 50
 innumeros arcus. acies stupet igne metalli
 et circumfuso trepidans obtunditur auro.

[...]

inde salutato libatis Thybride lymphis	520
excipiunt arcus operosaque semita uastis	
molibus et quidquid tantae praemittitur urbi.	
ac uelut officiis trepidantibus ora puellae	
spe propiore tori mater sollertior ornat	
adueniente proco uestesque et cingula comit	525
saepe manu uiridique angustat iaspide pectus	
substringitque comam gemmis et colla monili	
circuit et bacis onerat candentibus aures,	
sic oculis placitura tuis insignior auctis	
collibus et nota maior se Roma uidendum	530
obtulit. addebant pulchrum noua moenia uultum	
audito perfecta recens rumore Getarum,	
profecitque opifex decori timor, et, uice mira,	
quam pax intulerat bello discussa senectus	
erexit subitas turrec cinctosque coegit	535
septem continuo montes iuuenescere muro.	

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
8. Kollegstunde (10. Mai 2007):
Augustins und die *civitas Dei*

Texte: 1. Aug. *civ.* 1 *praef.*
 2. Aug. *civ.* 14,28

Text 1: Aug. *civ.* 1 *praef.* (Ed.: B. Dombart/A. Kalb, Leipzig/Stuttgart⁵1993 (Teubner))

Gloriosissimam civitatem Dei sive in hoc temporum cursu, cum inter impios peregrinatur ex fide vivens, siue in illa stabilitate sedis aeternae, quam nunc expectat per patientiam, *quoadusque iustitia convertatur in iudicium* [Ps. 93, 15], deinceps adeptura per excellentiam victoria ultima et pace perfecta, hoc opere instituto et mea ad te promissione debito defendere adversus eos, qui conditori eius deos suos praeferunt, fili carissime Marcelline, suscepi, magnum opus et arduum, sed Deus adiutor noster est. Nam scio quibus viribus opus sit, ut persuadeatur superbis quanta sit virtus humilitatis, qua fit ut omnia terrena cacumina temporali mobilitate nutantia non humano usurpata fastu, sed divina gratia donata celsitudo transcendat. Rex enim et conditor civitatis huius, de qua loqui instituimus, in scriptura populi sui sententiam divinae legis aperuit, qua dictum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* [Prov. 3, 34]. Hoc vero, quod Dei est, superbae quoque animae spiritus inflatus adfectat amatque sibi in laudibus dici:

Parcere subiectis et debellare superbos [Verg. Aen. 6,853].

Unde etiam de terrena ciuitate, quae cum dominari adpetit, etsi populi serviant, ipsa ei dominandi libido dominatur, non est praetereundum silentio quidquid dicere suscepti huius operis ratio postulat si facultas datur.

Text 2: Aug. *civ.* 14,28 (Ed.: B. Dombart/A. Kalb, Leipzig/Stuttgart⁵1993 (Teubner))

[XXVIII] Fecerunt itaque civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui. Denique illa in se ipsa, haec in Domino gloriatur. Illa enim quaerit ab hominibus gloriam; huic autem Deus conscientiae testis maxima est gloria. Illa in gloria sua exaltat caput suum; haec dicit Deo suo: *Gloria mea et exaltans caput meum* [Ps. 3, 4]. Illi in principibus eius vel in eis quas subiugat nationibus dominandi libido dominatur; in hac serviunt invicem in caritate et praepositi consulendo et subditi obtemperando. Illa in suis potentibus diligit virtutem suam; haec dicit Deo suo: *Diligam te, Domine, virtus mea* [Ps. 17, 2]. Ideoque in illa sapientes eius secundum hominem viventes aut corporis aut animi sui bona aut utriusque sectati sunt, aut qui potuerunt cognoscere Deum, *non ut Deum honoraverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes se esse sapientes* (id est dominante sibi superbia in sua sapientia sese extollentes) *stulti facti sunt et inmutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et uolucrum et quadrupedum et serpentium* (ad huiusce modi enim simulacra adoranda uel duces populorum vel sectatores fuerunt), *et coluerunt atque servierunt creaturae potius quam Creatori, qui est benedictus in saecula* [Rom. 1, 21f.]; in hac autem nulla est hominis sapientia nisi pietas, qua recte colitur verus Deus, id expectans praemium in societate sanctorum non solum hominum, verum etiam angelorum, *ut sit Deus omnia in omnibus* [Cor. 15, 28].

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
9. Kollegstunde (24. Mai 2007):
Augustin und die christliche Gelehrsamkeit

Texte: 1. Aug. *doct.* 4,18,35; 4,19,38
 2. Cic. *orat.* 21,69; 28/29,100

Text 1: Aug. *doct.* 4,18,35; 4,19,38 (Ed.: M. Moreau, Paris 1997 (Bibliothèque Augustinienne))

XVIII, 35. Haec autem tria ille, sicut ab eo dicta sunt, in causis forensibus posset ostendere, non autem <in nostris>, hoc est in ecclesiasticis quaestionibus, in quibus huius quem uolumus informare, sermo uersatur. In illis enim ea parua dicuntur ubi de rebus pecuniariis iudicandum est, ea magna ubi de salute ac de capite hominum ea uero, ubi nihil horum iudicandum est nihilque agitur, ut agat siue decernat, sed tantummodo ut delectetur auditor, inter utrumque quasi media et ob hoc modica, hoc est moderata dixerunt. Modicis enim modus nomen imposuit; nam modica pro paruus abusive, non proprie dicimus.

In istis autem nostris, quandoquidem omnia, maxime quae de loco superiore populis dicimus, ad hominum salutem nec temporariam, sed aeternam referre debemus, ubi etiam cauendus est aeternus interitus, omnia sunt magna quae dicimus, usque adeo ut nec de ipsis pecuniariis rebus uel acquirendis uel amittendis parua uideri debeant, quae doctor ecclesiasticus dicit, siue sit illa magna siue parua pecunia. Neque enim parua est iustitia, quam profecto et in parua pecunia custodire debemus, dicente Domino: *Qui in minimo fidelis est, et in magno fidelis est* [Luc. 16, 10]. Quod ergo minimum est, minimum est, sed in minimo fidelem esse magnum est. Nam sicut ratio rotunditatis, id est ut a puncto medio omnes lineae pares in extrema ducantur, eadem est in magno disco quae in nummulo exiguo; ita ubi parua iuste geruntur, non minuitur iustitiae magnitudo.

XIX, 38. Et tamen cum doctor iste debeat rerum dictor esse magnarum, non semper eas debet granditer dicere, sed submisso cum aliquid docetur; temperate, cum aliquid uituperatur siue laudatur; cum uero aliquid agendum est et ad eos loquimur qui hoc agere debent nec tamen uolunt, tunc ea quae magna sunt dicenda sunt granditer et ad flectendos animos congruenter. Et aliquando de una eademque re magna et submisso dicitur, si docetur, et temperate, si praedicatur, et granditer, si auersus inde animus, ut conuertatur, impellitur. Quid enim Deo ipso maius est? Numquid ideo non discitur? Aut qui docet unitatem Trinitatis, debet nisi submissa disputatione agere, ut res ad dignoscendum difficilis, quantum datur, possit intelligi? Numquid hic ornamenta, et non documenta quaeruntur? Numquid ut aliquid agat est flectendus auditor et non potius ut discat instruendus? Porro cum laudatur Deus siue de se ipso siue de operibus suis, quanta facies pulchrae ac splendidae dictionis oboritur ei qui potest, quantum potest, laudare quem nemo conuenienter laudat, nemo quomodocumque non laudat! At si non colatur aut cum illo uel etiam prae illo colantur idola siue daemones siue quaecumque creatura, quantum hoc malum sit atque ut ab hoc malo auertantur homines, debet utique granditer dici.

Text 2: Cic. *orat.* 21,69; 28/29,100 (Ed.: B. Kytzler, München/Zürich ³1988 (Tusculum))

21 69. Erit igitur eloquens – hunc enim auctore Antonio quaerimus – is, qui in foro causisque civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. probare necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriae; nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi: subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo; in quo uno vis omnis oratoris est.

28 [...] 100. Tenemus igitur, Brute, quem quaerimus, sed animo; nam manu si prehendissem, ne ipse quidem sua tanta eloquentia mihi persuasisset, ut se dimitterem. **29** sed inventus profecto est ille eloquens, quem numquam vidit Antonius. quis est igitur is? complectar brevi, disseram pluribus. is est enim eloquens, qui et humilia subtiliter et magna graviter et mediocria temperate potest dicere.

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
10. Kollegstunde (31. Mai 2007):
Barbaren in den Köpfen? Vom *sermo rusticus* zur *rusticitas*.

- Texte:** 1. Hier. *epist.* 22,29-30
 2. [Athanasius], *Vita Antonii* 77 (*versio latina anonyma*)
 3. Sidon. *epist.* 7,9,1-4
 4. Caesar. *serm.* 1,20

Text 1: Hier. *epist.* 22,29-30 (Ed.: F. A. Wright, London ⁶1991 (Loeb))

29. Variis callidus hostis pugnat insidiis. Sapientior erat coluber omnibus bestiis, quas fecerat dominus Deus super terram. Unde et apostolus: ‚Non,‘ inquit, ‚ignoramus eius astutias‘ [2. Cor. 2, 11]. Nec affectatae sordes nec exquisitae munditiae conveniunt Christianis. Si quid ignoras, si quid de scripturis dubitas, interroga eum, quem vita commendat, excusat aetas, fama non reprobatur; qui possit dicere, ‚Desponsavi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo‘ [2. Cor. 11, 2]. Aut si non est, qui possit exponere, melius est aliquid nescire securam, quam cum periculo discere. Memento, quoniam in medio laqueorum ambulas et multae veteranae virgines castitatis indubitata in ipso mortis limine coronam perdidere de manibus. Si quae ancillae sunt comites propositi tui, ne erigaris adversus eas, ne infleris ut domina. Unum sponsum habere coepistis, simul psallitis Christo, simul corpus accipitis, cur mensa diversa sit? Provocentur et aliae. Honor virginum sit invitatio ceterarum. Quodsi aliquam senseris infirmiore in fide, suscipe, consolare, blandire et pudicitiam illius fac lucrum tuum. Si qua simulat fugiens servitutem, huic aperte apostolum lege: ‚Melius est nubere, quam uri‘ [1. Cor. 7, 9]. Eas autem virgines viduasque, quae otiosae et curiosae domus circumeunt matronarum, quae rubore frontis adtrito parasitos vicere mimorum, quasi quasdam pestes abice. ‚Corrumpunt mores bonos confabulationes pessimae‘ [1. Cor. 15, 33]. Nulla illis nisi ventris cura est et quae ventri proxima. Istiusmodi hortari solent et dicere: ‚Mi catella, rebus tuis utere et vive, dum vivis,‘ et: ‚Numquid filiis tuis servas?‘ Vinosae atque lascivae quidvis mali insinuant, ac ferreas quoque mentes ad delicias molliunt, et ‚cum luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem inritam fecerunt‘ [1. Tim. 5, 11]. Nec tibi diserta multum velis videri aut lyricis festiva carminibus metro ludere. Non delumbem matronarum salivam delicata secteris, quae nunc strictis dentibus, nunc labiis dissolutis, balbutientem linguam in dimidiata verba moderantur, rusticum putantes omne, quod nascitur. Adeo illis adulterium etiam linguae placet. ‚Quae enim communicatio luci ad tenebras, qui consensus Christo cum Belial?‘ [2. Cor. 6, 14]. Quid facit cum psalterio Horatius? cum evangeliiis Maro? cum apostolo Cicero? Nonne scandalizatur frater, si te viderit in idolio recumbentem? Et licet ‚omnia munda mundis et nihil reiendum sit, quod cum gratiarum actione percipitur,‘ tamen simul bibere non debemus calicem Christi et calicem daemoniorum. Referam tibi meae infelicitatis historiam.

30. Cum ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis et, quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi propter caelorum me regna castrassem et Hierosolimam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romae summo studio ac labore confeceram, carere omnino non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam; post noctium crebras vigilias, post lacrimas, quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manibus. Si quando in memet reversus prophetam legere coepissem, sermo horrebat incultus, et quia lumen caecis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens inluderet, in media ferme quadragesima medullis

infusa febris corpus invasit exhaustum et sine ulla requie – quod dictu quoque incredibile sit – sic infelicia membra depasta est, ut ossibus vix haererem.

Interim parabantur exsequiae et vitalis animae calor toto frigescente iam corpore in solo tam tepente pectusculo palpitabat, cum subito raptus in spiritu ad tribunal iudicis pertrahor, ubi tantum luminis et tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut proiectus in terram sursum aspicere non auderem. Interrogatus conditionem Christianum me esse respondi: et ille, qui residebat, ‚Mentiris,‘ ait, ‚Ciceronianus es, non Christianus; ‚ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum‘ [Matth. 6, 21].’ Ilico obmutui et inter verbera – nam caedi me iusserat– conscientiae magis igne torquebar illum mecum versiculum reputans: ‚In inferno autem quis confitebitur tibi? [Ps. 6, 6]? Clamare tamen coepi et heulans dicere: ‚Miserere mei, domine, miserere mei.‘ Haec vox inter flagella resonabat. Tandem ad praesidentis genua provoluti, qui adstiterant, precabantur, ut veniam tribueret adolescentiae, ut errori locum poenitentiae commodaret exacturus deinde cruciatum, si gentilium litterarum libros aliquando legissem. Ego, qui in tanto constrictus articulo vellem etiam maiora promittere, deiurare coepi et nomen eius obtestans dicere, ‚Domine, si umquam habuero codices saeculares, si legero, te negavi.

In haec sacramenti verba dimissus revertor ad superos et mirantibus omnibus oculos aperio tanto lacrimarum imbre perfusos, ut etiam incredulis fidem facerent ex dolore. Nec vero sopor ille fuerat aut vana somnia, quibus saepe deludimur. Teste est tribunal, ante quod iacui, iudicium teste est, quod timui – ita mihi nunquam contingat talem incidere quaestionem! – liventes fateor habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum et tanto dehinc studio divina legisse, quanto mortalia ante non legeram.

Text 2: [Athanasius], *Vita Antonii 77 (versio latina anonyma)*

(Ed.: C. Mohrmann et al., *Vita di Antonio*, 1974 (Scrittori Greci e Latini))

77, 1. Et illi audientes haesitabant et convertebant se huc atque illuc: quod videns Antonius subrisit, et iterum dixit per interpretem: ‚Ista quidem quae dixi manifestam exprobationem habent. 2. Sed quia vos magis sermonibus quasi probabilibus ratione incumbitis, et hanc habentes artem vultis et nos Deum non posse colere nisi per sermonum probationem probaverimus culturam nostram, dicite mihi prius. 3. Res, ipsa maxime Dei scientia, quomodo manifestantur, per sermonum probationem, aut per operationem fidei? Et quid est antiquius, fides quae per operationem est, aut probatio per sermones?‘ 4. At illi fidem per operationem dixerunt maiorem esse, et haec est vera scientia. Et Antonius dixit illis: ‚Bene dixistis. Etenim fides de intimis est animi. [de] Dialectica vero artem initium habet eorum qui composuerunt eam. 5. Ergo quibus inest fides quae per operationem est, his non est opus, necessaria est illis, immo superflua est probatio quae fit per sermones. 6. Quod enim per fidem intelligimus, hoc vos per sermones temptastis disputare, impossibile facientes. Saepius enim ea quae intelligimus exponere non possumus, unde apparet quia melior est et firmior est fides quam per operationem habemus, quam sophistici syllogismi vestri.

Text 3: Sidon. *epist.* 7,9,1-4 (Ed.: A. Loyen, Paris 1970 (Les Belles Lettres))

1. Desiderio spiritalium lectionum, quarum tibi tam per authenticos quam per disputatores bybliothea fidei catholicae perfamiliaris est, etiam illa, quae maxime tuarum scilicet aurium minime digna sunt occupare censuram, noscere cupis; siquidem iniungis, ut orationem, quam uideor ad plebem Biturigis in ecclesia sermocinatus, tibi dirigam; cui non rhetorica partitio, non oratoriae *machinae*, non grammaticales figurae congruentem decorem disciplinamque suppeditauerunt. 2. Neque enim illic, ut exacte perorantibus mos est, aut pondera historica aut poetica schemata scintillasue controuersalium clausularum libuit aptari. Nam cum me partium

seditiones studia uarietates in diuersa raptarent, sic dictandi mihi materiam suggerebat iniuria, quod tempus occupatio subtrahebat. Etenim tanta erat turba competitorum, ut cathedrae unius numerosissimos candidatos nec duo recipere scamna potuissent. Omnes placebant sibi, omnes omnibus displicebant. **3.** Neque ualuissimus aliquid in commune consulere, nisi iudicii sui faciens plebs lenita iacturam sacerdotali se potius iudicio subdidisset, presbyterorum sane paucis angulatim fringultientibus, porro autem palam ne mussitantibus quidem, quia plerique non minus suum quam reliquos ordines pertimescebant. Igitur, dum publice totos singuli cauent, factum est, ut omnes non aspernanter audirent quod deinceps ambienter exponerent. **4.** Itaque paginam sume subditis uoluminibus adiunctam, quam duabus uigiliis unius noctis aestivae Christo teste dictatam plurimum uereor ne ipsi amplius lectioni, quae hoc de se probat, quam mihi credas. Memor nostri esse dignare, domine papa.

Text 4: Caesar. *serm.* 1,20 (Ed.: M.-J. Delage, Paris 1971 (Sources Chrétiennes))

20. Sed dicit aliquis: ‚Memoria mihi deest, et eloquentiam ad proferendum verbum Dei non habeo.‘ Timeo, piissimi domini, ne forte nos non possit ista excusatio in illo tremendo iudicio defensare, qui optime novimus Dominum nostrum non scolasticos vel rhetores, sed piscatores sine litteris et ovium custodes, pauperes utique et ignobiles, ad praedicandum verbum Domini praelegisse. Unde etiam si sit in aliquo sacerdote pulchra et exuberans eloquentia saecularis, sicut iam supra suggesti, satis incongruum est, si ita voluerit in ecclesia loqui, ut admonitio eius non ad totum, sicut expedit, dominicum gregem, sed vix ad paucos possit scolasticos sermo pervenire. Unde magis (19) simplici et pedestri sermone, quem totus populus capere possit, debent domini mei sacerdotes populis praedicare, implentes illud quod Apostulus ait: ‚Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem‘ [1. Cor. 9, 22], secundum beati Hieronymi sanctum et salubre consilium, quo ait: ‚Sacerdote, inquit, praedicante, oportet ut magis gemitus suscitentur quam plausus.‘

Etiam et hoc diligenter attendat sanctitas vestra, quia non sine grandi tremore cogitare vel considerare debemus, quod in evangelio ‚sal terrae‘ [Matth. 5, 5] appellari meruimus. Quid enim in sale, nisi doctrina sacerdotum, quid vero in terra, nisi commissus eis populus debet intellegi? Et ideo, quantum possumus, cum Dei adiutorio laborare debemus, ne forte, si sal ovibus Christi, id est doctrinam, nimium terrenis occupationibus impediti subtrahimus, quod divina pietas non permittat, infatuatum sal esse mereamur. Etiam et illud non sine grandi metu cogitandum est, quod sal infatuatum non dixit in campis aut in hortis proici, ubi putefacta et sterilis terra solet condiri, sed nullis usibus profuturum in plateis proiectum indignorum pedibus conculcari. Cui sententiae prope similis est illa, ubi legimus: ‚Si homo in hominem peccaverit, orabit pro eo sacerdos. Si autem sacerdos peccaverit, quis et orabit pro eo? (1. Rg 2, 25)‘

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
11. Kollegstunde (7. Juni 2007):
Schreiben am Barbarenhof: Boethius und Cassiodor

Texte: 1. Boeth. *cons.* 1 m. 1; pr. 1
 2. Cassiod. *var. praef.*
 3. Cassiod. *inst.* 1 *praef.* 1

Text 1: Boeth. *cons.* 1 m. I; pr. I (Ed.: C. Moreschini, München/Leipzig 2000 (Teubner))

I. Carmina qui quondam studio florente peregi, flebilis heu maestos cogor inire modos. Ecce mihi lacerae dictant scribenda Camenae et veris elegi fletibus ora rigant.	
Has saltem nullus potuit pervincere terror ne nostrum comites prosequerentur iter.	5
Gloria felicis olim viridisque iuventae, solantur maesti nunc mea fata senis. Venit enim properata malis inopina senectus et dolor aetatem iussit inesse suam.	10
Intempestivi funduntur vertice cani et tremit effeto corpore laxa cutis. Mors hominum felix, quae se nec dulcibus annis inserit et maestis saepe vocata venit.	15
Eheu, quam surda miseros avertitur aure et flentes oculos claudere saeva negat! Dum levibus male fida bonis fortuna faveret paene caput tristis merserat hora meum: nunc quia fallacem mutavit nubila vultum protrahit ingratas impia vita moras.	20
Quid me felicem totiens iactastis, amici? Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.	

I. 1. Haec dum mecum tacitus ipse reputarem querimoniamque lacrimabilem stili officio signarem adstitisse mihi supra verticem visa est mulier reverendi admodum vultus, oculis ardentibus et ultra commumem hominum valentiam perspicacibus, colore vivido atque inexhausti vigoris, quamvis ita aevi plena foret ut nullo modo nostrae crederetur aetatis, statura discretionis ambiguae. 2. Nam nunc quidem ad communem sese hominum mensuram cohibebat, nunc vero pulsare caelum summi verticis cacumine videbatur; quae cum altius caput extulisset, ipsum etiam caelum penetrabat respicientiumque hominum frustrabatur intuitum. 3. Vestes erant tenuissimis filis subtili artificio indissolubili materia perfectae, quas, uti post eadem prodente cognovi, suis manibus ipsa texuerat; quarum speciem, veluti fumosas imagines solet, caligo quaedam neglectae vetustatis obduxerat. 4. Harum in extremo margine □ graecum, in supremo vero □ legebatur intextum atque in utrasque litteras in scalarum modum gradus quidam insigniti videbantur, quibus ab inferiore ad superius elementum esset ascensus. 5. Eandem tamen vestem violentorum quorundam sciderant manus et particulas quas quisque potuit abstulerant. 6. Et dextra quidem eius libellos, sceptrum vero sinistra gestabat. 7. Quae ubi poeticas Musas vidit nostro assistentes toro fletibusque meis verba dictantes, commota

paulisper ac torvis inflammata luminibus: 8. Quis, inquit, has scenicas meretriculas ad hunc aegrum permisit accedere, quae dolores eius non modo nullis remediis foverent, verum dulcibus insuper alerent venenis? 9. Hae sunt enim quae infructuosis affectuum spinis uberem fructibus rationis segetem necant hominumque mentes adsuefaciunt morbo, non liberant. 10. At si quem profanum, uti vulgo solitum vobis, blanditiae vestrae detraherent, minus moleste ferendum putarem: nihil quippe in eo nostrae operae laederentur; hunc vero Eleaticis atque Academicis studiis innutritum... 11. Sed abite potius, Sirenes usque in exitium dulces, meisque eum Musis curandum sanandumque relinquite! 12. His ille chorus increpatus deiecit humi maestior vultum confessusque rubore verecundiam limen tristis excessit. 13. At ego, cuius acies lacrimis mersa caligaret nec dinoscere possem quatenus haec esset mulier tam imperiosae auctoritatis, obstupui visuque in terram defixo quidnam deinceps esset actura expectare tacitus coepi. 14. Tum illa propius accedens in extrema lectuli mei parte consedit meumque intuens vultum luctu gravem atque in humum maerore deiectum, his versibus de nostrae mentis perturbatione conquesta est:

Text 2: Cassiod. *var. praef.* (Ed.: Å. J. Fridh, Turnhout 1973 (CCSL XCVI))

1. Cum disertorum gratiam aut communibus fabulis aut gratuitis beneficiis, nullis tamen ueris meritis collegissem, dicta mea, quae in honoribus saepe positus pro explicanda negotiorum qualitate profuderam, in unum corpus redigere suadebant, ut uentura posteritas et laborum meorum molestias, quas pro generalitatis commodo sustinebam, et sinceris conscientiae inemptam dinosceret actionem. 2. Dicebam dilectionem ipsorum mihi potius fore contrariam, ut, quod modo propter desideria supplicantium putabatur acceptum, postea legentibus uideretur insubidum. Addebam debere illos Flacci dicta recolere, qui monet, quid periculi uox praecipitata possit incurrere. 3. Respondendi celeritatem cunctos uidetis exigere, et creditis me impaenitenda proferre? Dictio semper agrestis est, quae aut sensibus electis per moram non comitur aut uerborum minime proprietatibus explicatur. Loqui nobis communiter datum est: solus ornatus est, qui discernit indoctos. 4. Nonus annus ad scribendum relaxatur auctoribus: mihi nec horarum momenta praestantur: mox ut coepero, clamoribus imminetur et festinatione nimia geritur, ne cautius coepta peragantur. Alter nos frequentia inuidiosae interpellationis exaggerat: alter miseriarum mole castigat: alii furiosa contentionum seditione circumdant. 5. Inter haec cur requiritis dictationis eloquium, ubi copiam uix possumus habere sermonum? Ipsas quoque noctes inexplicabilis cura circumuolat, ne desint alimonia ciuitatibus, quae supra omnia populi plus requirunt, studentes uentri, non auribus. Hinc est quod cogimur animo per cunctas ire prouincias et iniuncta semper inquirere, quia non sufficit agenda militibus imperare, nisi haec iudicis assiduitas uideatur exigere. Nolite, quaeso, noxie nos amare. Declinanda est suasio quae plus habet periculi quam decoris. 6. Sed illi me potius tali disceptatione fatigabant: "Praefectum te praetorianae sedis omnes nouerunt, cui dignitati occupationes publicae uelut pedisequae semper assistunt. Ab hac enim exercitiales flagitantur expensae: ab hac uictus quaeritur sine temporis consideratione populorum: huic etiam uel solum grave iudiciorum pondus adiectum est. Cui ideo leges uisae sunt inmensum onus imponere, dum ad ipsam honoris gratia maluerunt paene omnia pertinere. Quod enim spatium possis publico labori subripere, quando in unum pectus confluit, quicquid utilitas generalitatis exposcit? 7. Addimus etiam, quod frequenter quaesturae uicibus ingrauato otii tempus adimit crebra cogitatio, et uelut mediocribus fascibus insudanti illa tibi de aliis honoribus principes uidentur imponere, quae proprii iudices nequeunt explicare. Haec autem facis nulla uendendo, sed exemplo proprii genitoris ab sperantibus accipis solos labores: sic petentibus praestando gratis sub continentiae munere cuncta mercaris. 8. Regum quin etiam gloriosa colloquia pro magna diei parte in bonum publicum te occupare nouerunt, ut fastidium sit otiosis expectare, quae tu continuo labore cognosceris sustinere. Verum hoc magis tibi ad suffragium laudis potest proficere, si

inter tanta et talia ualueris legenda proferre: deinde quod rudes uiros et ad rem publicam conscia facundia praeparatos labor tuus sine aliqua offensione poterit edocere, et usum, quem tu inter altercantium pericula iactatus exerces, illos, qui sunt in tranquillitate positi, contingit felicius adipisci. 9. Proinde, quod salua fide, qua frueris, dissimulare non poteris, tanta regum beneficia, si pateris ignorari, frustra maluisti benigna festinatione concedi. Noli, quaesumus, in obscurum silentii reuocare, qui te dicente meruerunt illustres dignitates accipere. Tu enim illos assumpsisti uera laude describere et quodam modo historico colore depingere. Quos si celebrandos posteris tradas, abstulisti, consuetudine maiorum, morientibus decenter interitum. 10. Deinde mores prauos regis auctoritate recorrigis, excedentis audaciam frangis, timorem legibus reddis. Et adhuc dubitas edere quod tantis utilitatibus probas posse congruere? Celas etiam ut ita dixerim, speculum mentis tuae, ubi te omnis aetas uentura possit inspicere. Contingit enim dissimilem filium plerumque generari: oratio dispar moribus uix potest inueniri. Est ergo ista ualde certior arbitrii proles: nam quod de arcano pectoris gignitur, auctoris sui posteritas ueracius aestimatur. 11. Dixisti etiam ad commendationem uniuersitatis frequenter reginis ac regibus laudes: duodecim libris Gothorum historiam defloratis prosperitatibus condidisti. Cum tibi in illis fuerit secundus euentus, quid ambigis et haec publico dare, qui iam cognosceris dicendi tirocinia posuisse?" 12. Victus sum, fateor, in uerecundiam meam: nec obsistere tantis prudentibus potui, cum me uiderem ex affectione culpam. Nunc ignoscite, legentes, et si qua est incauta praesumptio, suadentibus potius imputate, quia mea iudicia cum illo uidentur facere, qui me decreuerit accusare. 13. Et ideo quod in quaesturae, magisterii ac praefecturae dignitatibus a me dictatum in diuersis publicis actibus potui reperire, bis sena librorum ordinatione composui, ut, quamquam diuersitate causarum legentis intentio concitetur, efficacius tamen rapiatur animus, cum tendit ad terminum. 14. Illud autem sustinere alios passi non sumus quod nos frequenter incurrimus in honoribus dandis, impolitas et praecipites dictiones, quae sic poscuntur ad subitum, ut uix uel scribi posse uideantur. Cunctarum itaque dignitatum sexto et septimo libris formulas comprehendere, ut et mihi quamuis sero prospicerem et sequentibus in angusto tempore subuenirem: ita quae dixi de praeteritis conueniunt et futuris, quia non de personis, sed de ipsis locis quae apta uidebantur explicui. 15. Librorum uero titulum, operis indicem, causarum praeconem, totius orationis breuissimam uocem, uariarum nomine praenotaui, quia necesse nobis fuit stilum non unum sumere, qui personas uarias suscepimus ammonere. Aliter enim multa lectione satiatis, aliter mediocri gustatione suspensis, aliter a litterarum sapore ieiunis persuasionis causa loquendum est, ut interdum genus sit peritiae uitare quod doctis placeat. 16. Proinde maiorum pulchra definitio est sic apte dicere, ut audientibus possis concepta uota suadere. Neque enim tria genera dicendi in cassum prudens definiuit antiquitas: humile, quod communionem ipsa serpere uideatur: medium, quod nec magnitudine tumescit nec paruitate tenuatur, sed inter utrumque positum, propria uenustate ditatum suis finibus continetur: tertium genus, quod ad summum apicem disputationis exquisitis sensibus eleuatur: uidelicet, ut uarietas personarum congruum sortiretur eloquium et, licet ab uno pectore proflueret, diuersis tamen alueis emanaret, quando nullus eloquentis obtinet nomen, nisi qui trina ista uirtute succinctus causis emergentibus uiriliter est paratus. 17. Huc accedit, quod modo regibus, modo potestatibus aulicis, modo loqui uideamur humillimis, quibus alia contigit sub festinatione profundere, alia uero licuit cogitata proferre, ut merito uariarum dicatur, quod tanta diuersitate conficitur. Sed utinam, sicut ista regulis accepisse probamur antiquis, ita eadem promissae resignent merita dictionis. 18. Quapropter humile de nobis uerecunde promittimus: mediocre non improbe pollicemur: summum uero, quod propter nobilitatem sui est in edita dictione constitutum, nos attigisse non credimus. Verum tamen sileant praesumptiones illicitae, qui legendi sumus. Incongruo namque nostras de nobis disputationes ingerimus, qui uestra potius iudicia sustinemus.

Text 3: Cassiod. *inst. 1 praef. 1* (Ed.: R. A. B. Mynors, Oxford³1963)

1. Cum studia saecularium litterarum magno desiderio fervere cognoscerem, ita ut multa pars hominum per ipsa se mundi prudentiam crederet adipisci, gravissimo sum, fateor, dolore permotus ut Scripturis divinis magistri publici deessent, cum mundani auctores celeberrima procul dubio traditione pollerent. nisus sum cum beatissimo Agapito papa urbis Romae ut, sicut apud Alexandriam multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi civitate Syrorum Hebreis sedulo fertur exponi, collatis expensis in urbe Romana professos doctores scholae potius acciperent Christianae, unde et anima susciperet aeternam salutem et casto atque purissimo eloquio fidelium lingua comeretur. sed cum per bella ferventia et turbulenta nimis in Italico regno certamina desiderium meum nullatenus valuisset impleri, quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis, ad hoc divina caritate probor esse compulsus, ut ad vicem magistri introductorios vobis libros istos Domino praestante conficerem; per quos, sicut aestimo, et Scripturarum divinarum series et saecularium litterarum compendiosa notitia Domini munere panderetur, minus fortasse disertos, quoniam in eis non affectata eloquentia sed relatio necessaria reperitur; utilitas vero inesse magna cognoscitur, quando per eos discitur unde et salus animae et saecularis eruditio provenire monstratur. in quibus non propriam doctrinam sed priscorum dicta commendo, quae posteris laudare fas est et praedicare gloriosum, quoniam quicquid de priscis sub laude Domini dicitur, odiosa iactantia non putatur. huc accedit quod magistrum gravem pateris, si frequenter interrogas; ad istos autem quotiens redire volueris, nulla asperitate morderis.

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
12. Kollegstunde (14. Juni 2007):
Von der Villa ins Kloster: Die neuen Bedingungen der lateinischen Schriftkultur

Texte: 1. Sidon. *epist.* 4,11,6
 2. Sidon. *epist.* 2, 9

Text 1: auf Handout zur 6. Sitzung, S. 16

Text 2: Sidon. *epist.* 2, 9 (Ed.: A. Loyen, Paris 1970 (Les Belles Lettres))

Sidonius Donidio suo salutem

1. Quaeris cur ipse iampridem Nemausum profectus uestra serum ob aduentum desideria producam. Reddo causas reditus tardioris nec moras meas prodere moror, quia quae mihi dulcia sunt tibi quoque. Inter agros amoenissimos, humanissimos dominos, Ferreolum et Apollinarem, tempus uoluptuosissimum exegi. Praediorum his iura contermina, domicilia uicina, quibus interiecta gestatio peditem lassat neque sufficit equituro. Colles aedibus superiores exercentur uinitori et oliuitori: Aracynthum et Nysam, celebrata poetarum carminibus iuga, censeas. Vni domui in plana patentiaque, alteri in nemora prospectus; sed nihilo minus dissimilis situs similiter oblectat. 2. Quamquam de praediorum quid nunc amplius positione, cum restat hospitalitatis ordo reserandus? Iam primum sagacissimis in hoc exploratoribus destinatis, qui reditus nostri iter aucuparentur, domus utraque non solum tramites aggerum publicorum uerum etiam calles compendiis tortuosos atque pastoria deuerticula insedit, ne quo casu dispositis officiorum insidiis elaberemur. Quas incidimus, fateor, sed minime inuiti, iusque iurandum confestim praebere compulsi, ne, priusquam septem dies euoluerentur, quicquam de itineris nostri continuatione meditemur. 3. Igitur mane cotidiano partibus super hospite prima et grata contentio, quaenam potissimum antierius edulibus nostris culina fumaret; nec sane poterat ex aequo diuisioni lancem ponere uicissitudo, licet uni domui mecum, alteri cum meis uinculum foret propinquitatis, quia Ferreolo praefectorio uiro praeter necessitudinem sibi debitam dabat aetas et dignitas primi inuitatoris praerogatiuam. 4. Illicet a deliciis in delicias rapiebamur. Vix quodcumque uestibulum intratum, et ecce huc sphaeristarum contrastantium paria inter rotatiles catastropharum gyros duplicabantur, huc inter aleatoriarum uocum competitiones frequens crepitantium fritillorum tesserarumque strepitus audiebatur; huc libri adfatim in promptu (uidere te crederes aut grammaticales pluteos aut Athenaei cuneos aut armaria exstructa bybliopolarum); sic tamen quod, qui inter matronarum cathedras codices erant, stilus his religiosus inueniebatur, qui uero per subsellia patrumfamilias, hi coturno Latiaris eloquii nobilitabantur; licet quaequam uolumina quorumpiam auctorum seruarent in causis disparibus dicendi parilitatem: nam similis scientiae uiri, hinc Augustinus hinc Varro, hinc Horatius, hinc Prudentius lectitabantur. 5. Quos inter Adamantius Origenes Turrano Rufino interpretatus sedulo fidei nostrae lectoribus inspiciebatur; pariter et, prout singulis cordi, diuersa censentes sermocinabamur, cur a quibusdam protomystarum tamquam scaeuus cauendusque tractator improbaretur, quamquam sic esset ad uerbum sententiamque translatus ut nec Apuleius Phaedonem sic Platonis neque Tullius Ctesiphontem sic Demosthenis in usum regulamque Romani sermonis exscriperint. 6. Studiis hisce dum nostrum singuli quique, prout libuerat, occupabantur, ecce et ab archimagiro aduentans, qui tempus instare curandi corpora moneret, quem quidem nuntium per spatia clepsydrae horarum incrementa seruantem probabat competenter ingressum quinta digrediens. Prandebamus breuiter copiose, senatorium ad morem, quo insitum institutumque multas epulas paucis paropsidibus apponi, quamuis

conuiuium per edulia nunc assa nunc iurulenta uarietur. Inter bibendum narratiunculae, quarum cognitu hilararemur, institueremur, quia eas bifariam orditas laetitia peritiaque comitabantur. Quid multa? Sancte, pulchre, abundanter accipiebamur. **7.** Inde surgentes, si Vorocingi eramus (hoc uni praedio nomen), ad sarcinas et deuersorium pedem referebamus; si Prusiani (sic fundus alter nuncupabatur), Tonantium cum fratribus, lectissimos aequaeuorum nobilium principes, stratis suis eiciebamus, quia nec facile crebro cubilium nostrorum instrumenta circumferebantur. Excusso torpore meridiano paulisper equitabamus, quo facilius pectora marcida cibus cenatoriae fami exacueremus. **8.** Balneas habebat in opere uterque hospes, in usu neuter; sed cum uel pauxillulum bibere desisset assecularum meorum famulorumque turba compotrix, quorum cerebris hospitales creterrae nimium immersae dominabantur, uicina fonti aut fluuio raptim scrobis fodiebatur, in quam forte cum lapidum cumulus ambustus demitteretur, antro in hemisphaerii formam corylis flexibilibus intexto fossa inardescens operiebatur, sic tamen ut superiectis Cilicum uelis patentia interualla virgarum lumine excluso tenebrarentur, uaporem repulsura salientem, qui undae feruentis aspergine flammatis silicibus excuditur. **9.** Hic nobis trahebantur horae non absque sermonibus salsis iocularibusque; quos inter halitu nebulae stridentis oppletis inuolutisque saluberrimus sudor eliciebatur; quo, prout libuisset, effuso coctilibus aquis ingerebamus, quarumque fotu cruditatem nostram tergente resoluti aut fontano deinceps frigore putealique aut fluuiali copia solidabamur: siquidem domibus medius it Vardo fluuius, nisi cum deflua niue pastus impalluit, flauis ruber glareis et per alueum perspicuus, quietus calculosusque neque ob hoc minus piscium ferax delicatorum. **10.** Dicerem et cenas et quidem unctissimas, nisi terminum nostrae loquacitati, quem uerecundia non adhibet, charta posuisset; quarum quoque replicatio fieret amoena narratu, nisi epistulae tergum madidis sordidare calamis erubesceremus. Sed quia et ipsi in procinctu sumus teque sub ope Christi actutum nobis inuisere placet, expeditius tibi cenae amicorum in mea cena tuaque commemorabuntur, modo nos quam primum hebdomadis exactae spatia completa uotivae restituant esuritioni, quia disruptum ganea stomachum nulla sarcire res melius quam parsimonia solet. Vale.

Vorlesung Sommersemester 2007
Einführung in die lateinische Literatur der Spätantike
13. Kollegstunde (21. Juni 2007):
Die Spätantike: Eine Epoche der Rezeption der Antike?

- Texte:** 1. Sidon. *epist.* 4,11,6 vers. 4-5
 2. Sidon. *epist.* 4,17,2
 3. Cassiod. *inst.* 1,30
 4. Greg. *epist.* XI, 34
 5. Greg. *epist.* V, 53^a, V.
 6. Alcuin *epist.* 178

Text 1 Sidon. *epist.* 4,11,6 vers. 4-5 (Ed.: A. Loyen, Paris 1970 (Les Belles Lettres))
 triplex Bybliothecca quo magistro,
 Romana, Attica, Christiana fulsit;
 [...]

Text 2 Sidon. *epist.* 4,17,2 (Ed.: A. Loyen, Paris 1970 (Les Belles Lettres))
 2. Quocirca sermonis pompa Romani, si qua adhuc uspiam est, Belgicis olim siue Rhenanis abolita terris in te resedit, quo uel incolumi uel perorante, etsi apud limitem Latina iura ceciderunt, uerba non titubant. Quapropter alternum salue rependens granditer laetor saltim in inlustri pectore tuo uanescentium litterarum remansisse uestigia, quae si frequenti lectione continuas, experiere per dies, quanto antecellunt beluis homines, tanto anteferri rusticis institutos.

Text 3 Cassiod. *inst.* 1,30,1 (Ed.: R. A. B. Mynors, Oxford³1963)
 1. Ego tamen fateor votum meum, quod inter vos quaecumque possunt corporeo labore compleri, antiquariorum mihi studia, si tamen veraciter scribant, non immerito forsitan plus placere, quod et mentem suam relegendo Scripturas divinas salutariter instruunt et Domini praecepta scribendo longe lateque disseminant. felix intentio, laudanda sedulitas, manu hominibus praedicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitum dare, et contra diaboli subreptiones illicitas calamo atramentoque pugnare. tot enim vulnera Satanas accipit, quot antiquarius Domini verba describit.

Text 4 Greg. *epist.* XI, 34 (Ed.: L. M. Hartmann, Berlin 1899 (MGH Epp. II, S. 303, Z. 11-16))
 Sed post hoc pervenit ad nos, quod sine verecundia memorare non possumus, fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ita moleste suscepimus ac sumus vehementius aspernati, ut ea quae prius dicta fuerant in gemitu et tristitia verteremus, quia in uno se ore cum Iovis laudibus Christi laudes non capiunt. Et quam grave nefandumque sit episcopo canere, quod nec laico religioso conveniat, ipse considera.

Text 5 Greg. *epist.* V, 53^a,5 (Ed.: L. M. Hartmann, Berlin 1899 (MGH Epp. I, S. 357, Z. 38-41))

Nam sicut huius quoque epistolae tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio. non barbarismi confusionem devito, situs modosque et praepositionum casus servare contemno, quia indignum vehementer existimo, ut verba caelestis oraculi restringam sub regulis Donati.

Text 6 Alcuin *epist.* 178 (Ed.: E. Dümmler, Berlin 1895 (MGH Epp. IV, S. 294, Z. 26-30))

Legitur quendam veterum dixisse poetarum, cum de laude imperatorum Romani regni, si rite recordor, cecinisset, quales esse debuissent, dicens:

‘Parcere subiectis et debellare superbos’ [Aen.6,853]

quem versiculum beatus Augustinus in libro de civitate Dei [Aug.*civ.*1,6] multa laude exposuit.